

dum, & a barbarie, qua Latina eiusdem interpretatio barbaris commaculata erat saeculis, purgandum, manus admoveret; e quibus haud vulgare, cui strenuam navavit operam, sanctiorum literarum studium (4) luculenter perspicitur. Regium quoque purpurati Theologi exemplum suppeditat *IACOBVS*, Magnae Britanniae Rex, Princeps non humaniorum modo, sed divini-  
 rum quoque literarum longe peritissimus, testantibus, praeter splendidum elogium, quo *Gerhardus Ioannes Vossius* (5) eum insignivit, scriptis eruditissimis, quae in doctorum virorum manibus versantur. Quid vero dicam de *IOANNE*, Duce Mecklenburgico, saeculi decimi tertii ornamentis praecipuis iure meritoque accensendo? Hic enim eo disciplinae sanctioris studio factus est illustrissimus, ut & Doctoris Theologiae insignia Parisiis suscipere haud dubitarit, & honoris causa fuerit cognominatus Theologus (6). Quam rarum, imo rarissimum, est hoc exemplum, tam solida sempiternae factus est gloriae particeps *GEORGIUS*,  
 Prin-

- (4) Plenius hoc edisserui & variis comprobavi documentis in *Select. Liter.* p. 252 sqq.
- (5) Hic *Aristarchum*, sive de *Arte Grammatica* librum, qui *Operum* Tom. II. primo loco reperitur, *CAROLO*, Principi Britannico, consecrans, *Dedicationi* haec pag. \* \*. b. inseruit verba: *Propero ad sapientissimum avum tuum, IACOBVM, in quo tot res propriae & singulares. - - Sed non tam de genere, vel imperio, nunc sermo est nobis, quam doctrina; cuius partium alii singulas, unus ille hauserat universas. Peritiam dico linguarum, prosam versamque facundiam, naturae prudentiaeque disciplinas, historiam Ecclesiae & civilem, caeterasque literas divinas & humanas. Quare sic statuere non verear, tam varia maximarum rerum scientia superasse, quicquid Regum a mille annis, mille vero? imo, absit dicto invidia, quodcunque a Regis Salomonis temporibus fuit. Vbi nihil auribus dari nulli melius sciunt quam interioris admissionis proceres atque antistites; abundeque ipse orbi id universo testatum fecit divinis suis ingenii doctrinaeque tot monumentis.*
- (6) *CASP. CALOVIVS* *Chronic. Princip. Mecklenb.* pag. B iii. b: *IOHANNES THEOLOGVS.* Dieser ist von seinem Großvater, Burevin, in Franckreich gegen Paris geschicket, daselbsten er zwantzig Jahr studiret, und in der heiligen Schrifte Doctor worden.